

Deo, unde necesse est ponere quod aliquo modo sit ejus idea in Deo. » Et concludit : « Si large accipiamus ideam pro similitudine, vel ratione, tunc illa possunt per se distinctam ideam habere, quæ possunt distincte considerari, quamvis separatim esse non possint; et sic nihil prohibet materiæ primæ, etiam secundum se, esse ideam. » Ergo contra D. Thomam est dicere quod materiæ secundum se non datur idea. Et in I, dist. xxxvi, q. art. III ad II inquit quod : « Materia in se habet esse imperfectum, secundum ultimum gradum essendi, qui est esse in potentia, et ideo perfectum rationem ideæ non habet; nisi secundum quod est in composito, quia sic sibi a Deo perfectum esse confertur : in se vero considerata habet in Deo imperfectam rationem ideæ, hoc est actu, quia divina essentia est imitabilis a composito secundum esse perfectum; a materia secundum esse imperfectum, sed a privatione nullo modo. » Ratione etiam arguitur, quia materia habet entitatem realem in se participatam a Deo, et creatam, et secundum se etiam antecedenter ad formam, et compositum habet esse entitativum vel saltem ordinem ad esse : ergo habet quidquid requiritur ut sit ideata a Deo, quia si est creata, est participata, et per artem Dei, et imitationem ejus facta, non naturaliter ab eo procedens. Antecedens negari non potest, quia materia prima non est purum nihil, nec privatio, sed vera entitas realis, quia vere componit ipsum totum, et ex illa educitur forma, et non est entitas realis increata : ergo creata. Confirmatur, quia ille ordo materiæ ad formam sufficit ut materia sit bona, saltem bonitate extrinseca, ut præcedenti tomo, disp. VI diximus : bonitas autem perfectio est, quod autem sufficit ut res dicatur perfec-

ta a Deo, etiam sufficere ut dicatur ideata a Deo. Omitto argumenta quæ fiunt ad probandum materiam habere de se existentiam, et actum entitativum, quo fundamento moventur Suarez et Vasquez; sed hæc argumenta soluta sunt a nobis, ostendendo quod materia secundum se caret isto esse entitativo præcedenti tomo et in physicis et in libris de generatione.

XXXI. Respondetur quod attinet ad auctoritatem D. Thomæ Cajetanum in præsentem liquide tenere quod mutavit sententiam, fundaturque illo verbo D. Thomæ hic art. III ad III, ubi negat ideam materiæ secundum se, quia nec habet esse, nec cognoscibilis est secundum se : ergo negat ipsi ideam, etiam ut est ratio cognoscendi, et non solum ut est ratio producendi. Sed quia potest instari quod materia, etiam secundum se est cognoscibilis, quia ad hoc sufficit quod dicat ordinem ad formam, non autem quod actu sit formata, iste enim ordo convenit materiæ, etiam secundum se, et antequam sit formata : per ordinem autem ad formam cognoscibilis est materia, nam etiam privatio per ordinem ad formam cognosci potest; ideo respondetur quod sensus D. Thomæ in utrisque locis non est contrarius, nec retractat in uno, quod dicit in alio, quia procedit secundum diversas considerationes materiæ; quando enim dicitur materia secundum se, ly secundum se, vel potest appellare ipsam entitatem materiæ cum ordine, quem includit ad formam, vel potest appellare statum materiæ, qui est privatio omnis formæ. Et sub prima consideratione concedit D. Thomas materiæ secundum se ideam in illis locis quæ supra citantur : sub posteriori autem negat ideam materiæ secundum se in aliis locis, quæ in probatione conclusionis citavimus,

quia sub statu privationis materia non est producibilis, neque cognoscibilis ratione illius status. Et cum S. Thomas addit in hoc articulo, quod neque potest cognosci secundum se materia, ly secundum se intelligitur ratione status privationis formarum, et non respectus, seu ordinis ad illas, ratione cujus non potest cognosci, nisi extrahatur ab illo, et consideretur sub ordine ad formam. Vel etiam potest intelligi quod secundum se non est cognoscibilis practice, quia prout sic non potest poni in esse, cum sit incapax existendi extra omnem formam, licet cognoscibilis sit ejus entitas per ordinem ad formam, et compositum, quod etiam convenit illi secundum se; et sic etiam loquitur in quæstione III de verit. et in II, dist. xxxvi citatis.

XXXII. Ad rationem respondetur nos non negare quod materia secundum suam entitatem habeat ideam, licet inadæquatam, et imperfectam, quia creata est a Deo, sed dicimus non habere illam sub omni statu, sed sub illo, sub quo potest creari a Deo, id est, ut subest alicui formæ, et dicit ordinem ad formam; sub alio autem statu, id est, sub carentia omnis formæ, non potest ideari, quia nec creari. Itaque defectu status tamquam conditionis requisitæ negamus illi ideam, non defectu entitatis, si in alio statu ponatur, id est, sub ordine, et subjectione ad formam, quia sic solum producibilis est, licet etiam ante informationem ipsius formæ sit cognoscibilis, quasi speculative; per ordinem tamen ad formam, sed non practice creabilis in esse, ut diximus.

XXXIII. Ad confirmationem respondetur, quod materia secundum se est bona in potentia, redditur tamen perfecta, et bona in actu per formam cui conjungitur, non sub statu carentiæ omnis formæ. Unde

similiter habet ideam quæ constituunt illam bonam in potentia, requirit tamen pro conditione, et statu alicui formæ conjungi, et non potest illa idea separari ab omni idea formæ, quia non potest aliter produci materia, quia non est capax existendi sine forma: ipsæ autem formæ, sunt capaces existendi sine materia, ut supra jam diximus.

XXXIV. Tertio, arguitur contra quartam conclusionem ex Vasquez hic disp. LXXIV, cap. III, quia accidentia propria habent suam distinctam cognoscibilitatem, sicut et entitatem a subjecto: ergo distinctam ideam, saltem speculativam imo et practicam: nam idea practica solum addit supra speculativam efficaciam ex parte voluntatis. Quod vero simul tempore producantur, nihil obstat, quia etiamsi producantur simul, habent tamen distinctum esse, et distinctam cognoscibilitatem, et consequenter distinctam ideam: hæc enim sequitur ad distinctionem entitatum, sicut pro diversis individuis ponimus diversas ideas.

XXXV. Confirmatur, quia si aliquid obstaret, maxime ratio D. Thomæ, quia scilicet una domus cum omnibus suis postibus, et accidentibus unica idea fit: hoc autem nihil obstat, quia una domus solum est una unitate ordinis, et sic habet unam ideam, quæ etiam sit una in ordine; nos autem loquimur hic de idea entitatis naturalis, quæ habet unitatem simpliciter, et sic ubi est diversa entitas, est diversa idea.

XXXVI. Respondetur distinguendo antecedens: accidentia propria habent distinctam cognoscibilitatem, seu entitatem a subjecto, radicatam in illo, et emanantem ab illo, et sic eadem generatione producibilem, concedo; non radicatam in



illo, nec eadem generatione producibilem, nego. Unde habent eandem ideam practice cum ipso subjecto, quia hæc attendit generationem, et productionem rei, quæ producit accidentia propria ut emanantia a subjecto, et radicaliter in illo involuta. Speculative autem, et secundum præcisionem quam intellectus format, bene possunt accidentia propria habere distinctam ideam a subjecto, id est, distinctam rationem cognoscendi sub ista abstractione, et præcisione, non sub ratione practica, quæ non solum addit ad speculativam efficaciam voluntatis, sed etiam diversam formationem intellectus. Nec ponimus eandem ideam pro subjecto, et passionibus, quia simul tempore producuntur, sed quia radicaliter continentur in subjecto, et ab illo dimanant, et eadem generatione fiunt, et sic non ubicumque est distincta entitas, est distincta idea, sed ubicumque est distincta et non radicata in alia, neque ad complementum generationis ejus pertinens: sic enim sicut eadem generatio se extendit ad illa, ita et una idea illa omnia comprehendit: diversa autem individua non habent hanc subordinationem, et dependentiam inter se, ut unica generatione fiant.

XXXVII. Ad confirmationem respondetur exemplum D. Thomæ de idea domus procedere a fortiori, quia si pro una domo, seu artefacto faciendo sufficit una idea, quæ omnes ejus partes comprehendat et accidentia propria, multo melius una idea comprehendet omnes partes unius rei physicæ et naturalis, ejusque propria accidentia, quia totum eadem generatione attingitur.

XXXVIII. Ultimo, arguitur contra ultimam conclusionem, nam individua solum multiplicantur ex parte materiæ, et divisionis ejus, sed nos non ponimus ideam pro-

priam materiæ secundum se; ergo nec multiplicari debent ideæ pro pluribus individuis, quæ solum differunt secundum divisionem materiæ.

XXXIX. Confirmatur, quia D. Thomas in præsentis articulo III ad III, negat ideas speciales gradus generici, eo quod simul cum specie producit: ergo eadem ratione debet negare distinctas, et speciales ideas pro gradibus individualibus, quia cum specie formatur gradus individui sicut gradus generis: si autem multiplicantur ideæ pro individuis, non vero pro ipsa specie, in qua individua conveniunt, idea talis speciei, erit idea quædam in abstracto, et in confuso præscindens ab omnibus individuis, quod est absurdum.

XL. Respondetur quod individua multiplicantur per divisionem materiæ, non ut carentis forma, sed ut subjectæ illi, quia ex materia signata sumitur hæc multiplicatio, non signatur autem a quantitate, nisi cum ordine ad formam; de materia autem informata, et signata datur idea, ut diximus. Et præterea, licet materia signata quantitate sit principium individuationis, non tamen est ipsa formalis individuatio, sed hæc constituit in differentia individuali, et sic licet ex materia sumatur tamquam ex principio, potest tamen dari idea de ipsa individuatione formali, quæ sic ex materia signata, et determinata per formam oritur.

XLI. Ad confirmationem respondetur, quod D. Thomas loquitur de gradu generico, et specifico, et individuali reperto in eodem subjecto seu individuo: hæc enim ratione non datur diversa idea de diversis gradibus in eodem individuo, ut expresse docet D. Thomas q. III de verit. art. VIII ad II. Loquendo autem de diversis individuis, sic requiruntur diversæ ideæ, quia diversæ en-

titates sunt, non coordinatæ inter se, nec eadem generatione, sed diversa factibiles. Nec propter hoc ponimus ideam de ipsa specie in abstracto, sed dicitur Deus habere ideam de specie, ut conjuncta individuis, non seorsim ab illis, licet de

quolibet individuo suam habeat ideam, in qua et gradus specificus, et genericus includitur, non autem de quolibet gradu seorsim, et abstracte sumpto habet diversam ideam, in quantum exemplar practicum est.